



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Dominica xvij. post pent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

POST PENTECOSTEN. 511  
DOMINICA XVII. POST PEN  
tecosten, ad Ephesios iij.

**F**Ratres, Obsecro uos ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis] .i. ne recedatis a fide Christi, dū me uidetis tribulari p̄ uobis, [q̄ tribulatio est gloria uestra.] Cōueniētis dicet, q̄ tribulationes sunt gloria uestra Pro illis ergo Apostolus tribulabatur: quia dum illis p̄dicabat uerbū, cōprehendebatur a persecutoribus Sed eius tribulatio, gloria illorū erat, q̄ cōfortabatur in fide, & p̄ passionē suā acquirerebat eis gloriā eter nā [Huius rei gratia] .i. p̄pterea ne uos recedatis a fide Christi. [Flecto genua mea ad patrē dñi nostri Iesu Christi.] Sicut sunt exteriores oculi corporis & exteriora genua, ceteraq; mēbra, ita etiā dicuntur esse & interiora, uñ hic Apost. nō loquitur de exterioribus genib⁹, sed de interioribus. Per genua ergo debemus intelligere tantūmodo, submissum & humiliatum sensum mentis. Flecto, inquit, genua mea, id est, submitto & humilio sensum cordis mei, orando deum pro uobis. Quod sequitur, [ad patrē domini nostri Iesu Christi:] in Græco sermone non habetur, nisi tantūmodo, patrē: ut intelligatur absolute, creatorem esse omniū rerum. Quod uero in latinis codicibus additū est, domini nostri Iesu Christi, bene cōuenit, quia illi est p̄prie & naturaliter pater, nobis autē adoptiue. Sequitur: [Ex q̄] deo patre [om̄is paternitas in cælo & in terra nominatur.] Sicuti in p̄senti seculo habemus q̄s appellamus patres, & sunt a q̄bus appellamur patres: ita & in illo collegio sanctōrū spiritu um sunt q̄ alios diligunt uocare patres, sicut p̄æ-

laros uerbi gratia. Angeli diligunt archangelos appellare patres. sic de cæteris uirtutibus intelligendum. ideoque dicit, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur: quia & angeli in cælo, & homines in terra, ab illo exordium sumpserunt: & ab illo qui est pater omnium rerum, acceperunt ut patres alios uocarent, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari per spiritum sanctum eius in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Idcirco, inquit, flecto genua mea ad patrem domini nostri, ut ipse det uobis uirtutem secundum largitatem gloriæ suæ, & secundum abundantiam gloriæ suæ, ut sitis corroborati in fide, ut possit Christus habitare per fidem in interiore homine, id est, in cordibus uestris. Licet enim deus omnipotens per potentiam diuinitatis suæ ubique sit, tamen in illis specialiter dicitur habitare, qui fidem eius habent.

In charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere in uobismetipsis cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Ex superioribus ista pendunt. Ideo etiam submitto sensum cordis mei ad deum, ut sitis in charitate radicati, sicuti arbor plantata radicitus firmatur in terra, ut humorem habeat, & a uento facile non eradicetur. Et non solum radica: id est, sed & fundati in ipsa charitate, quasi super solidissimam petram, ut possitis intelligere quæ sit latitudo charitatis. Latitudo charitatis est qua diligitur deus, & non solum amicus, sed etiam inimicus, de quo mandato dicit Psalmista, Latum mandatum tuum nimis. Longitudo charitatis, est per

Psal. 118

seuerantia in bonis operibus. Longanimitas etiã  
 siue longitudo charitatis, est ab initio fidei usq; ad  
 finem spei, id est, usq; dum perueniamus ad illud,  
 ut quod modo tenemus in spe, tunc possideamus  
 in re, patienter pro dei amore aduersa huius seculi  
 tolerantes. Sublimitas uel altitudo charitatis est,  
 ut pro omnibus nostris operibus bonis, tam pro  
 latitudine charitatis quam pro patientiã longani-  
 mitate & perseuerantia in bonis operibus, subli-  
 mitatem patrie celestis queramus, sperantes nos  
 a deo remunerandos. Profundũ autẽ siue occultũ  
 charitatis est, ut omnia bona quæ habemus, de al-  
 to dei dono & inspiratiõẽ nobis uenire credamus.  
 Hec oĩa in charitate Christi possunt cõprehendi.  
 Scire etiam supereminentem scientiẽ chari-  
 tatem Christi, Det uobis etiam intelligere chari-  
 tatem Christi, supereminentem scientiã humanã,  
 hoc est, ut det uobis sciẽtiam, quatenus possitis in-  
 telligere quanta sit charitas Christi, qui pro uobis  
 mortuus est: quæ charitas transcendit & excedit  
 omnem scientiam humanam, & non solum hu-  
 manam, sed etiam diuinam, quam hominibus lar-  
 gitur. Et quomodo possumus illã scire, si super-  
 eminens est scientiã q̄ hoĩbus tribuitur? Hoc debe-  
 mus scire, q̄a ignoramus illam. Quis enim mor-  
 talium hominum ualet comprehendere, quanta  
 charitas fuit in deo patre, qui p̄ nobis unicũ filiũ  
 nõ solũ incarnari, sed etiã mori permisit? Sequitur:

**Vt impleamini in omnẽ plenitudinẽ dei.**  
 Idcirco, inquit, exoro scire uos charitatem Chri-  
 sti, ut impleamini uirtutib⁹, & mereamini annume-  
 rari in numero fidelium, ex quibus quodidie corpus Chri-  
 sti

fiti impletur. Plenitudo ergo corporis Christi, est ecclesia, quae quotidie ex omnibus gentibus impletur.

Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum uirtutem quae operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.]

Ei autem, id est, deo patri qui potest omnia facere quae nobis necessaria sunt, superabundanter quam petimus, id est, qui potest omnia nobis tribuere plus quam nos petere sciamus, aut petere praesumamus: & hoc secundum uirtutem diuinitatis potentiae, quae uirtus diuinitatis operatur in nobis miracula, fidem, uirtutes & doctrinam, fit gloria in ecclesia & in Christo Iesu. In ecclesia est gloria dei patris, in qua multitudo fidelium glorificat & laudat deum patrem in omnibus quae agit. Per illam etiam glorificatur, iuxta quod dominus dicit: Videant opera uestra bona, & glorificent

**Matt. 5.** patrem uestrum. In Christo quoque Iesu est gloria dei patris quia omnia quae ipse filius operatus est, ad gloriam & laudem eius retulit, dicens: Pater in me manens, ipse facit opera. In omnes ergo

**Ioh. 14.** generationes fit deo patri gloria, id est, in praesentes & futuras: uel in generationes gentium, & generationes Iudaeorum, & in omnia futura secula.

DOMINICA XVII. POST  
pentecosten.

Luc. VII.

In illo tempore Ibat Iesus in ciuitatem, quae uocatur Naim. Et reliqua,



**M**ediator dei & hominū Iesus Christus, homo p̄ nobis factus, ita in homine, quē ex nobis assumpsit, sua opera temperauit, ut frequēter in uno eodēq; miraculo, se uerum deum uerumq; hominem declararet. Qd̄ in huius lectiōnis serie aperte demonstratur, cum prius misericordia motus dicitur, ac

deinde iuuenem resuscitasse narratur. Qui em̄ ad fletum uiduæ misericordia mouetur, uerus est homo: qui autem sola iussione iuuenem a mortuis resuscitauit, proculdubio uerus est deus. Sed qd̄ hęc significant spiritualiter, uideamus, ut unde unus resuscitatur in corpore, inde multi resurgant in mēte. Ait enim euangelista. [ Ibat Iesus in ciuitatem quæ uocatur Naim. ] Naim ciuitas est Galilææ, duobus millibus distans a monte Tabor. Interpretatur autem in nostra lingua fluctus, siue commotio, & significat spiritualiter mundum, qui amissa tranquillitate, in fluctuationibus & commotionibus est, sicut per Psalmistam dicitur: Commouisti domine terram, & conturbasti eam. Dominus autem quasi Naim appropinquauit, quando humanitate nostra assumpta, uisibilis mundo apparuit. Suscitaturus autē mortuū, non solū discipulos, sed etiam turbam copiosam secum uoluit comitari, ut ex uisione miraculi, non pauci, sed plures ad credulitatem & fidem eius uel laudem uocarentur,

Psal. 59.

Cum autem appropinquaret portę ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suę. ] Defunctus iste, qui extra ciuitatem ad sepeliendum delatus fuerat, hominē significat mortifero crimine soporatum. Moritur enim anima

**Ieze. 18.** per peccatū, quia anima quę peccauerit, ipsa morietur. Tribus enim modis peccatum agitur, suggestione, delectatione, consensu. Fit enim suggestio per hostem, delectatio per carnem, consensus per spiritum. Quem enim in corde peccare delectat, quasi infra ciuitatem mortuus iacet. Cum uero delectatio nō solum usq; ad consensum, sed etiam usq; ad operationem perducit, quasi extra portas ciuitatis mortuus expellitur. Quia sicut in ciuitate homo inhabitat, ita anima ad tempus corpus ingreditur, per quod bonum uel malum operari potest. ¶ Portas autem ciuitatis nō incongrue sensus corporeos accipimus, scilicet uisum, auditum, gustum, odoratum, tactum. Per has enim portas aut uita, aut mors ad nostram animā ingreditur. Qui enim sublimes habet oculos & elatos, & ad concupiscentiam mulieris apertos, quasi per portas oculorum suorum extra ciuitatem mortuus expellitur. Qui autem aures suas libenter detractiōibus, maledictionibus & falsitatibus aperit, quasi per portas aurium suarum mortuus educitur. Qui uero propter carnalem delectationem satis faciendam uarios odores p illecebras sequitur, quasi extra portas nariū suarum mortuus deportatur. Et qui loquitur iniquitatem in excelsis, & seminat inter fratres discordias, quasi p oris sui portas mortuus effertur. Qui autem promptas habet manus ad effusionem sanguinis, & lassioem proximis in-

**Pro. 6.**

ferendam, quasi per portas manuum suarum mortuus rapitur. Quibus per prophetā dicitur: *Intra-<sup>lere. 9.</sup>*  
 uit mors per fenestras uestras, ingressa est domos  
 uestras. Sed nos talium exempla cōtemnentes, spi-  
 ritales nostrae ciuitatis portas muniamus, ut non  
 ad animas nostras mors, sed potius uita introeat.  
 Muniamus portas oculorū ab illicito uisu, ut cum *Psal. 120*  
*Psalmistā dicere ualeamus. Leuaui oculos meos ad Iob. 31.*  
 montes. Et cum beato Iob: *Pepigi foedus cum ocu-*  
 lis meis, ne cogitarem quidem de uirgine. Et cum *Psal. 24.*  
*Psalmistā: Oculi mei semper ad dominum. Munia-*  
 mus aures, ne libenter audiant uerba detractiōis,  
 maledictionis, falsitatis & scurrilitatis, ut cum bea-  
 to Iob dicere possimus: *Audit u auris audiui te do-*  
 mine. Et cum propheta: *Audiam quid loquatur in Iob. 48.*  
 me dominus deus. Muniam⁹ nares ab illicitis odo *Psal. 84.*  
 ribus, ut (secundum Apostolum) simus Christi bo-  
 nus odor deo in omni loco. Muniamus linguam *2. Cor. 2.*  
 a maledictione, detractiōe, falsitate & odioso ser-  
 mone, ut cum *Psalmistā dicere ualeamus: Dixi, cu-*  
 stodiā uias meas, ut non delinquā in lingua mea.  
 Posui ori meo custodiam. Muniamus manus ab *Psal. 38.*  
 effusione sanguinis & læsione proximi, semperque  
 eas ad cleemosynam largiendam & bona opera  
 faciēda paratas habeamus, ut cum *Psalmistā di-*  
 cere queamus: *Lauabo inter innocētes manus me-*  
 as, & circumdabo altare tuum domine. Et cum ec- *Psal. 25*  
 clesia: *Manus meae distillauerunt myrrham, & di-*  
 giti mei pleni myrrha p̄batissima. Custodiamus *Can. 5.*  
 etiā, pedes ne sint ueloces ad currendum in ma-  
 lum, sed potius ad pacem euangelizandam, ut im- *Isai. 52.*  
 pleatur in nobis illud, quod in *Isaia scriptū est: Bea-*  
 ti pedes pacem portantes. Et cum *Psalmistā: Lu-*  
*Psal. 118.*



cerna pedibus meis uerbū tuū domine . Si em̄ hos  
 quinq; sensus bene custodierimus, spiritaliter a do-  
 mino resuscitari merebimur, & erim⁹ de illis, de qu-  
 bus Isaias ait: Qui ambulāt in iustitijs suis, & rel.

Isa. 33.

Et hæc uidua erat, & turba ciuitatis mul-  
 ta cum illa ] Vidua hæc spiritaliter sanctam signi-  
 ficat ecclesiam, quæ pro eo uidua dicitur, quia præ-  
 sentia domini sui uiduata est, eiusq; reditum ad iu-  
 diciū expectat, de qua scriptum est: Viduam ei-

Psal. 31.

Luc. 13.

us benedicens benedicam. Hæc est illa uidua, quæ  
 quotidie in euangelio iudicem interpellat: quoni-  
 am ecclesia instantissime in oratione perseverat, de

Ecc. 35.

qua scriptum est: Nonne lachrymæ uiduæ ad ma-  
 xillas eius descendunt, & exclamatio eius usq; ad  
 deducentem eas? Huius quoq; uiduæ filius, unus-  
 quisq; credentium est, qui tunc moritur in anima,  
 quando peccat in corpore. Flebat autē mater uni-  
 cum filium suum, quia ecclesia spiritualium filiorū  
 suorum mortem quotidie flere non cessat, sicut fa-

Gal. 4.

ciebat Paulus apostolus, quando dicebat: Filioli  
 mei, quos iterum parturio, donec formetur Chri-  
 stus in uobis, uellem enim apud uos esse modo, &  
 mutare uocem meam, quam ut confundar in uo-

2. Co. 12.

bis. Et iterū. Lugeo multos ex his q; ante peccauerunt,  
 & nō egerunt pœnitentiā sup impudicitijs q̄s  
 gesserunt. Solet autē cōringere, ut aliorū orationib⁹  
 & exhortationibus multi resuscitentur ad uitā, qui  
 ap̄ prijs meritis tenebātur in morte. Vñ & subditur:

Quam cum uidisset dominus, misericor-  
 dia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

Sanctorum enim fletu dominus ad misericordi-  
 am cōmouetur, ut peccatorib⁹ misereatur. Quod

in operibus Moyſi & Elię diſcimus, quorū alter ꝑ  
peccatis populi intercedēs, ac dicēs: Aut dimitte  
eis hęc noxā, aut dele me de libro tuo, quē ſcripſi  
ſti. audire meruit: Ecce placat⁹ feci ſecundum uer  
bū tuum. Ad alterius uero orationē pluuiā terrę de  
dit, quam peccatoribus per triennium negauerat.

Exo. 32:

3. Re. 17

Et accessit, & tetigit loculum.

Loculus in quo mortuus portabatur, conſciētiam  
peccatoris male deſperatā ſignificat. Quasi em̄ in  
loculo mortuus ad ſepeliendum portatur, quādo  
peccator ꝑ magnitudine ſui ſceleris ſeipſum de  
ſperans, quaſi ſecurus abſq; timore peccat. Sed do  
minus loculum tangit, quādo cor durum pecca  
toris ꝑ diuinam gratiam & ꝑnitentiā emollit.  
[Hi aut̄ qui portabant, ſteterunt.] Hi qui mortu  
um ad ſepeliendum portabant, uitiā & peccata ſigni  
ficant, qualia ſunt adulteria, homicidia, furta, rapi  
nē, ſacrilegia, & cetera talia, quę dum in opere pec  
catoris uiciſſim ſibi ſuccedunt, quaſi mortuum ad  
ſepulturam deferunt: Sed domino tangente locu  
lum, hi qui portabant, ſteterunt: quia cum cor pec  
catoris ad ꝑnitentiā conuerſum fuerit, conſue  
tudo peccandi ceſſat. Mutātur enim opera, prior  
iniquitas refrenatur, & ꝑ luxuria caſtitas, & ꝑ  
odio charitas, & ꝑ ebrietate amatur ſobrietas, Ali  
ter: Hi qui mortuum portabant, adulantium lin  
guas ſignificant. Quasi enim ſuper mortuum ad  
ulatore terre congeriem iaciunt, quādo peccan  
tem uanis fauoribus & blandimentis demulcent.  
Sed domino tangente loculum, hi qui portabant  
ſteterunt: quia poſtquam peccator ſpūs ſancti gra  
tia fuerit illuminatus, adulantium blandimenta fuge  
re incipit, iuxta illius exemplum qui ait: Corripiet

Pſal. 140

KK iij

me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Et ait illi: Adolefcens, tibi dico, surge. Et refedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. ] Tunc ad diuinā iussionem mortuus resurgit, quando per pœnitentiam peccator reuiuiscit, ab illius misericordia uocatus, q̄ ait:

Ieze. 18.  
& 33.

Viuo ego, dicit dominus deus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Incipit loqui, cum & sua mala opera accusare, & deum discit laudare. Redditur matri, cū per sacerdotale ministerium reconciliatur ecclesiæ, a qua peccando ante abcesserat. Frequenter enim illorum restitutione diuinę misericordię largitas glorificatur, de quorū uita prius fuerat desperatū. Vñ & recte subditur:

Accepit autem omnes timor, & magnificabant deū, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia deus uisitauit plebē suam. ] Cuius enim gradus altior est, eius peccatum grauius. Sed quo magis de maioribus peccatis a deo liberatur, eo amplius liberatoris gratia glorificatur. Quia & medicorum opus tanto magis laudabile apparet, quanto & difficiliore morbos curare potuerint. Possumus etiam aliter per hunc mortuum allegorice genus humanum intelligere, quod tunc in mortem incidit, quando præcepta uitæ contempserit, dicente domino: In quacumque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini. Mater autē uidua, quæ unicū filium flebat, synagoga intelligitur, quæ in patriarchis & prophetis generis humani interitum deflebat. Et quia prope est dominus omnibus inuo-

Gen. 2.

Psal. 44

cantibus eum in ueritate, recte subditur: [Quam  
 cum uidisset dominus, misericordia motus super  
 eam, dixit illi: Noli flere.] Ac si diceret. Desine fle-  
 re mortuum, quem post paululum resurgētem ui-  
 debis Ne timeas mortem, cum presentem habeas  
 uitam. [Et accessit & tetigit loculum.] Tunc em̄  
 spiritaliter loculum dominus tetigit, quando ho-  
 mo factus, per semetipsum corda hominū ad pœ-  
 nitentiam prouocauit, dicens: Pœnitētiā agite, Matt. 3.  
& 4.  
 appropinquabit enim regnum cœlorum. Loculus  
 namq; a quatuor deportatur. Quatuor enim mo-  
 dis genus humanum ante aduentum domini a stri-  
 ctum tenebatur, amore scilicet & timore, gaudio  
 & mœrore. Amore, in acquirendis rebus: timore,  
 in custodiendis: gaudio, in acquisitis: mœrore, in  
 amissis: quia qui prius gaudebat in abundantia re-  
 rum, postmodum exultabat in paupertate: & qui  
 tunc gratulabatur in acquisitis, post lætabatur in  
 amissis. Hi autem qui portabant, immundos spūs  
 significant, qui non solum per prauaricationem  
 primi hominis, sed etiā per multa mala opera ge-  
 nus humanum ad mortis sepulturam trahebant.  
 Sed domino tangente loculum, hi qui portabāt.  
 steterunt: quia postquam corda hominū per pœ-  
 nitentiam ad deum conuersa sunt, potestas immun-  
 dorum spirituum cessa uit. [Et ait: Adolescēs, tibi  
 dico, surge. Et resedit q̄ erat mortuus, & cœpit lo-  
 qui, & dedit illum matri suæ.] Recte per adolscē-  
 tem genus designatur humanum, quia sicut in ado-  
 lescentia forte & robustum est corpus, ita genus  
 humanum prioribus temporibus uelut in iuuentu-  
 te uiguit, in procreatione prolis fecundū, in lon-  
 gitudine uitæ diuturnū, in abundantia rerum hu-

Isa. 50.

Psal. 50.

Mar. 8.

berrimum. Resedit autem q̄rat mortuus, quando genus humanum ad uitam redijt. Cœpit loqui, id est, q̄ prius opera manuum suarū laudabat, deū cōfiteri cœpit, dicēs cum Propheta: Dñs deo dedit mihi linguā cruditā. Et cum Psalmista: Dñe, labia mea aperies. Dedit illū matri suæ, qm̄ cum ecclesie restituit. [Accepit aut̄ om̄es timor.] Hi qui timore & admiratione concutiebantur, immundi spūs intelliguntur, qui uidētes genus humanum, p̄ aduētum dñi de sua potestate cripī, tota intentione cōcussī sunt int̄m, ut p̄ obsessum hoīem dicerēt: Quid nobis & tibi fili dei? uenisti ante tempus torq̄re nos?

DOMINICA XVIII. POST PEN  
tecosten, ad Ephesios iiii.

**F**Ratres, Obsecro uos ego uinctus in domino, ut digne ambuletis uocatione, qua uocati estis. [Obsecro, id ē, deprecor uos ego uinctus in domino, ut digne & sancte uiuatis illa uocatione, qua uocati estis in baptisate. Estis uocati, ut sancti sitis & immaculati: sancte & immaculate conuersamini, ambulantes de uirtute in uirtutem. Quod aurem dicit, [ego uinctus,] dupliciter intelligi potest: uel uinctus carnis & positus in carcere [in domino,] id est, p̄ domino, siue p̄ amore domini: uel uinctus, id est, attrictus amore dilectionis erga uos p̄pter dominum. [cum om̄i humilitate & mansuetudine,] subauditur, ambulate & conuersamini digne. [cum patientia supportantes uos inuicem in charitate.] Humilis dicitur humi accliuus. Mansuetudo est lenitas & tranquillitas animi. Ambulate, inquit, & cōuersamini cum om̄i humilitate & mansuetudine mentis, suppor